Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3255
Quelle:
Copyright:

nenſ. et *Thomae de Haſelbach* Theol. Profeſſoris Vindobonenſ. quae ſic incipiunt: *Que quidem litteræ exiſtunt ſex Sigillis appenſis roboratæ. Primum ſigillum eſt Maieſtatis imperialis appenſum compactatis. Confectum eſt de cera glauca* &c.

IV. *fol.* 16. *Conſilium facultatis theologicæ Pragenſis, a principio Huſſitarum, cui conſilio ſi fuiſſet obtemperatum, nullo pacto tot mala ſequuta eſſent.* Habetur hoc Scriptum catholicum *Job. Cochlaei Hiſt. Huſſit.* L. I. p. 29. totidem verbis. *Adminiſtrator* Archiepiſcopatus, qui in clauſula nominatur, fuit *Conradus* Ep. Olomucenſis, Scriptumque ipſum confectum an. 1413.

V. *fol.* 24. *Compactata inita cum Bohemis et Morauis, quibus admittitur ſub utraque ſpecie communio, his ſolum qui ad annos diſcretionis uenerunt, cum alijs nonnullis adiectis conditionibus.* Declarationes horum Compactatorum *Iglaviae* factas ſupra ad N. III. vidimus. Ipſa Compactata edidere *Cochlaeus* ſupracit. L. VII. p. 271. et *Leibnitius* cit. p. 138. Nobis tamen praeit *Ingreſſus* 19. linear. hoc principio: *Nos Philibertus dei et apoſtolice ſedis gratia conſtantienſis Epiſcopus prouintiæ Rothomagenſis. Joannes de Polomar Archidiaconus Barchinonenſis* &c. cujus neuter meminit. Acta ſunt haec circa feſtum S. *Martini* et concluſa *ult. Novembr. Pragae in Collegio Caroli* 1433.

VI. *fol.* 32. *Extractum ex Picardorum Bohemiæ libris impreſſis, quibus maxime continentur blaſphemiæ contra ſacerdotium nouæ legis, Euchariſtiæ ſacramentum, et ſacrificium miſſæ.* Incipit: *Sicut olim Valdenſes heretici gratioſiſſimum ſancte memorie regem Wladiſlaum callida fraude deceperunt, dicentes ſe plane credere, ſi Chriſtus lapidem accipiendo ſuum corpus dixiſſet* (vide primam illorum Confeſſionem, *Lipſ.* typis *Melch. Loteri* 1512. p. 5. f.) *Sic moderni heretici nonnullos bonos uiros, generoſiſſimosque dominos ſuis aſtutiis ſeduxerunt, quas ſcilicet aſtutias ipſi boni viri ignorantes ſacræ regiæ maieſtati ſcribentes teſtimonium dederunt in articulo tredecimo de eis dicentes nunquam eos blaſphemos corporis et ſanguinis Chriſti fuiſſe, nec futuros. Sed profecto liber excuſſus in recentiori Boleſlauia horrendiſſimos eos blaſphemos fuiſſe et adhuc eſſe oſtendit, ut luce clarius patebit ex articulis ſubſcriptis, quos de præfato libro accepi.* Articulum *tredecimum* ex *Confeſſione* acceptum puto, quam Fratres Bohemici *Ferdinando* I. an. 1535. obtulere, quaeque *Witebergae* lucem vidit 1573. 8. Sequuntur deinceps excerpta ex praedicto Libro *Boleſlauienſi.*

VII. *fol.* 38. *Reſponſum Papæ Pij Secundi, Datum Oratoribus regis Georgij* (Podiebradi) *declarans Bohemos abuti compactatis.* Extat impreſſum *Leibnitii Mantiſſae ſuprac.* p. 159. Legationis vero hujus, quae in an. 1462. incidit, ſucceſſum narrat *Cochlaeus Hiſt. Huſſit.* L. XII. p. 426.

VIII.